



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 163. Maria de Burgundia filium enixa

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

Sæcul. XV. batur ; hanc ob rem Lugdunensem con-  
 A.C. 1478. ventum, prout tamen publicaverat, co-  
 gere prætermisit. Quin etiam sibi metuere cœpit, aucto po-  
 tissimum insidiarum timore, postquam tragicum Juliani Medicei exitum com-  
 pererat ; Quapropter, ne idem quoque  
 fatum sibi aliquando immineret, veritus,  
 centum Nobiles, quorum fidem atque af-  
 fectum sibi sat exploratum habebat,  
 pro corporis sui custodia selegit. His  
 Comitem de Castro præfecit; alterius  
 autem validissimæ legionis, quæ ex ve-  
 teranis militibus prælio exercitatissimis  
 instructa erat, imperium Comminæo con-  
 credidit, hosque satellites suos *Pensiona-*  
*rios* appellare consuevit. Utriusque ag-  
 minis cura erat, ut apud Regem diu  
 noctuque excubaret; Præter hos unus  
 ex Ephebis immote Regis latera stipare  
 cogebatur, oblonga armatus hasta, qua  
 sine discrimine quemcunque transfigere  
 jubebatur, qui absque venia prius obten-  
 ta ad Regem accedere præsumeret.

**Chatre**

## §. CLXIII.

*Filius a Maria de Burgundia in  
 lucem editus.*

Oliv. March lib. 2. ff. 9. **H**oc anno millesimo quadringentesimo  
 septuagesimo octavo Maximilianus  
 Austriæ Dux ex Maria de Burgundia  
 con-

conjuge sua filium suscepit. Cum igitur Sæcul. XV.  
 hujus filii nativitate successionis jura in A.C. 1478.  
 Belgium satis firmata essent, ac præterea inducæ cum Ludovico pactæ exiis-  
 sent, Maximilianus Belgicas ditiones a  
 Gallis occupatas recuperare statuit. Jam  
 utrinque hostile odium recrudescit, &  
 Ludovicus Condatum urbem primus ex-  
 pugnat, eamque, ne denuo ab Archiduce  
 caperetur, unacum Mortaniæ oppido ir- *Mortagne.*  
 cendi jubet. Rex Angliæ pacem conci-  
 liaturus Hawartum in Gallias Legatum  
 misit, ipse quoque Pontifex huic negotio  
 per suum Nuntium sedulo incumbebat,  
 nec sine prospero successu; horum enim  
 opera in certas leges ad tempus ab armis  
 discessum est in Belgio; necdum tamen  
 a belli injuriis temperatum erat in Bur-  
 gundia, ubi Arausionensis Princeps Gal-  
 los acerrimo bello premebat. Hic a  
 Francia defecerat, eoquod Georgius Tri- *Matth. in*  
 molius Credonensis Toparcha, qui regii hist. Lud. XI  
 in hac Provincia exercitus Dux erat, con- *tib. 9.*  
 tra datam fidem, Regisque mandatum,  
 non solum Arausionensi suas ditiones red-  
 dere, illataque damna refarcire detre-  
 ctasset, sed etiam data quacunque occa-  
 sione eum crebris admodum molestiis af-  
 secisset: Quapropter Arausionensis Pri-  
 ceps in suas partes Claudium Valdretum, *Vaudray.*  
 aliosque nonnullos Proceres pertraxit, to-  
 tamque

Sæcul. XV. tamque ferme Provinciam in Archiducis  
A.C. 1478. fidem, atque obsequium revocavit.

## §. CLXIV.

*Primum Regis Francæ fædus  
cum Helvetiis.*

*Commin.  
lib. 6. cap. 4.  
Montguyon.* Maximilianus postmodum haud procul a loco, quem Montguidonem vocant, prælium committit, sed adverso Marte; unde hujus victoriæ beneficio Galliarum Rex Ducatum quidem Burgundiæ recuperavit, nec tamen propterea in Comitatu belli flammæ sedare valuit. Credonensis quoque amissis omnibus belli tormentis ignominiose Dolenis urbis obsidionem solvere compellebatur, quare Ludovicus ira graviter commotus, eundem revocavit, atque in ejus locum Carolum de Ambasia Calvimontii Dynastam substituit, qui Helvetiorum suppeditiis auctus, res deperditas restauravit, jecitque fundamentum ad primum foedus Gallorum cum Helvetiis, vi cuius Ludovicus hujus gentis Tribubus pensionem viginti millium librarum, totidemque aliis quibusdam privatis viris in singulos annos solvere cogebatur, ea lege, ut Helvetii vicissim sex suorum millia certo stipendio Regi suppeditarent, ac denique Ludovicus primus hujus nationis foederatus diceretur. Quamvis Helvetii po-

stre-